HUGO DE SANCTO VICTORE
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



sacramentum singularem habens legem. quemadmodum singularem habet institutionem. et videtur ordo postulare. prius quam ad ea que de ceteris dicenda sunt sacramentis discutienda accedamus. de isto singulariter quedam que ad primam institutionem spectare videbuntur. premittere. his que ad secundam institutionem pertinent. sequenti narrationi reseruatis. Habet enim sacramentum duplicem institutionem unam ante peccatum ad officium. aliam post peccatum ad remedium. et secundum illam quidem quia singulariter institutum est. singulariter tractari debet. ut post ea secundum illam que ceteris in tempore coniungitur. in ceteris narratione non separetur. De institutione coniugii ante peccatum.

.xiii. Sacramentum coniugii solum ex omnibus sacramentis que ad remedium hominis instituta sunt. ante peccatum hominis legitur institutum. non tamen propter peccatum. sed ad sacramentum solum et ad officium. ad sacramentum propter eruditionem. ad officium propter exercitationem. Erant enim duo hec in coniugio ipso. coniugium ipsum. et coniugii officium. et utrumque sacramentum erat. Coniugium constabat in consensu federis socialis. officium coniugii constabat in copula carnis. Coniugium sacramentum fuit cuius data societatis spiritualis. que per dilectionem erat inter deum et animam. In qua societate anima sponsa erat. et sponsus dominus. Officium coniugii sacramentum fuit cuius data societatis. que futura erat per carnem assumptam. inter xpm et ecclesiam. In qua societate xpc sponsus futurus erat. et sponsa ecclesia. Et quia sponsus erat utrobique superior erat. et eius dilectio per pietatem trahebatur ad inferiorem. Que autem sponsa erat. utrobique inferior erat. quia sibi sufficiens non erat. et per se stare non poterat. et propterea eius dilectio necessitate magis convertebatur ad superiorem. Superior diligendo beneficium prestitit. inferior diligendo beneficium accepit.